



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus X. De observatione Somniorum, & restitutione pretii pro exercitio
magicæ artis accepti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS X.

De observatione somniorum, & restitutione pretii pro exercitio magicæ artis accepti.

Dampinus somniis suis, quæ frequenter habet, non modicam fidem tribuit; Vnde quoties noctu de rixis, & homicidiis somniat, die sequenti domi manere solet, ne aliquod infortunium sibi accidat; cùmque non nunquam somniasset, pecuniam sibi furto sublatam fuisse, & arcam pecuniariam semel iustrasset, advertit, revera magnam pecuniæ summam furtim ablatam fuisse: Quare illicò maleficum adit, & oblati 50. fl. ut sibi furem indicet, ab eo petit.

QUÆR. I. An, & quale peccatum sit somnia observare, iisque credere?

QUÆR. II. Unde dignosci possit, quòd somnia aliquos eventus futuros significantia sint à Deo, vel à Damone?

QUÆR. III. An pretium, receptum pro usu, & exercitio artis magicæ, sit restituendum, præsertim si effectus, ob quem datum est, non obtineatur?

67 **A**Nte i. Q. Resolutionem præstat nôsse, ac notâsse, somnia à diversis causis provenire posse, iisque partim corporalibus, partim spiritualibus, ut notat S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 6. & fusè tractat Greg. Nyssen. l. de hominis opific. cap. 13. quæ ad duplicem corporalem, duplicemque Spiritualem reducuntur. Corporalis alia est interior, exterior alia, quæ vel est corpus circumstans, vel Cœli temperies, quæ aliquan-

do solet phantasiam ita immutare, ut ad illius similitudinem somnia succedant. Interior, ac præcipua naturalis causa somniorum est dispositio, affectio, & temperamentum corporis humani; si enim istud abundat sanguine, læta somniantur; turpia, si spermate abundat. Si atra bilis prædominatur, tristitia repræsentantur; si verò flava bilis prævaleat, pugnæ, rixæ, & lites cogitantur. Si phlegma redundat, fontes, flumina
imbres

imbres &c. obijciuntur. Si quis fiti laborat, se bibere cogitat, si fame, epulas apprehendit.

Proprietates porrò temperamentorum corporis humani, quæ

aliud non sunt, quàm temperies, seu mixtura primarum quatuor qualitatum, hisce versibus in compendio expressit Anton. Zenno Policola.

- Sanguineus;* Largus, amans, hilaris, ridens rubeique coloris,
Cantans, Carnosus, satis audax, atque benignus.
- Choleric.* Versutus, fallax, irascens, prodigus, audax,
Impiger, & gracilis, siccus, croceique coloris.
- Phlegmat.* Hic somnolentus, piger, ac sputamine plenus,
Est hebes huic sensus, pinguis facies, color albus.
- Melanch.* Invidus, ac tristis, cupidus, dextræque tenacis,
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

Spirituales autem causæ somniorum, una pariter est intrinseca, extrinseca alia. Intrinseca est cogitatio præcedens habita in vigilia, & habitus ex ea genitus, causans in phantasia similes repræsentationes; secundùm enim studia, ut ait D. Augustin. *l. de spiritu, & anima, c. 25*, quæ quisque exercuit, somniat, & solitarum artium simulacra in præsentia mentis impressa apparent in somnis. Extrinseca verò somniorum causa vel est bonus, vel malus spiritus; sæpè enim à spiritu bono somnia immittuntur, non solùm piis hominibus, ut Joseph, Jacob, Danieli, & aliis; sed etiam sceleratis, ut Pharaoni, Nabuchodonf. Aliquando verò à malo spiritu causantur, Dæmone scilicet humores corporis permutante, & permiscente, quibus sic permixtis som-

nia, quæ tibi arident, immittit. His præmissis.

Ad I. Q. R. I. Somnia observa- 68
re quatenus bonam, vel malam corporis affectionem, & temperamentum indicant, licitum est, & culpâ caret; ut notat Suarez cum aliis *l. 2. de superst. Cap. 13. n. 6.* quia somnia habent virtutem naturalem ad indicandum humorem prædominantem, & ita Medici somnia infirmorum percontantur, ut humor prædominans cognoscatur. Pariter licitum est investigare, à qua causa somnia, quæ nos crebrò infestant, territant, conturbant, proveniant, ut rationem aliquam ineamuseam molestiam à nobis depellendi, exemplo veterum Patrum & Monachorum causas somniorum diligenter investigantium,

tium, ut notant Cassianus *collatione* 22. *Dilrio l. 4. disquis. magic. c. 3. q. 6. concl. 3.* Suarez *l. c.* & alii.

R. 2. Somnia observare; tunc illicitum est, quando extendunt se ad ea, quæ per ipsa cognosci nequeunt, ut sunt velle per ea cognoscere futura contingentia, vel quæ ex arbitrii libertate pendent, certius quam ex somniis cognosci valeant, atque adeo quoties probabile non est, somnium à Deo esse, peccatum grave est ex illo prænotionem futuri eventus, vel alicujus effectus occulti colligere, ut tradunt Suarez *l. c. n. 25.* Less. *n. 52.* Valent. *D. 6. q. 12. p. 3.* Sanch. *l. 2. c. 38. n. 53.* Palao *D. 1. p. 5. n. 6.* aliique communiter. Rario est, quia cum ex somniis nequeat haberi de futuris contingentibus, nisi ad summum levissima conjectura, suspitionis limites non excedens, nec ipsum somnium effectus illos significare possit, ex impositione causæ Superioris, scilicet Dei vel Dæmonis provenire necesse est: si igitur probabile non est, somnium à Deo assumi ad significandos tales effectus, restat, ut à Dæmone significationem habeat: ergo ex tali significatione effectum prænuntiare, est instructionem Dæmonis expectare, & ejus disciplinæ se se subicere; ideoque gravissimè peccas, si per somnium procures prænotionem futuri eventus, aut effectus occulti, quemadmodum procurabant Gentiles, qui certa dispositio-

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

ne, modo, & situ ad somnum se componebant, ut sibi per somnia revelarentur occulta; est enim hoc Dæmonis instructionem procurare, & expectare, tametsi dicas, nolle te ab eo instrui, sed à Deo; quia factio ipso, quod vanum est, Dæmonem invitas, atque invocas. Credere tamen aliquantulum, & aliquando somnio, seu aliquantulum ex illo timere aliquid adversi, vel sperare prosperum, à peccato gravi excusant Suarez, *n. 25.* Less. *n. 53.* Palao *l. c.* Navar. *cap. 11. n. 33.* Cajetan. *V. somniorum observatio*, Sanch. *l. c. n. 22.* quia cum à Deo id esse possit, licet regulariter non sit, occasionem præbet alicujus suspitionis, unde venialiter duntaxat te peccare, ajunt, si semel, vel iterum ob somnium habitum facias aliquid, vel omittas, modò non sit aliunde obligatorium, & contra aliquod præceptum; graviter verò te delinquere, si continuo à somniis ad operandum movereris, eò quòd tunc convincereris, fidem somniis habere majorem, quam par est, quamque per ea cognosci potest.

Quare meritò Cajetan. 2. 2. q. 95. 4 6. testatur, se nunquam somniis variis sibi contingentibus fidem aliquam habere ausum, quamvis interdum eorum veritas effectum sit comprobata; quòd vel casu res postea sic accidat, vel id procurante Dæmone, ut facilius ad

K

fidem

fidem somniis habendam homines attrahat: unde rectè Valentia *citt. q. 12. p. 3.* ait tunc vel maximè cavendum esse, ne somniis assentiamur, cum eventu comprobari videntur, ob ante allatam rationem.

- 69 Ad 2. Q. discernere à qua causa somnia proveniant, an scilicet à naturali, anue à Deo, vel à Dæmone, perquam difficile est; cum enim à qualibet ex his causis possint provenire, quis de illis justum, tutumque feret iudicium, & conjecturam? Unde Confessarii, & prudentis, probique Viri erit, ea, eoque modo, iisdemque regulis discernere, quibus divinæ revelationes à falsis discernuntur ut ait Delrius *l. c. conclus. 5.* ubi fasè explicat, quibus indiciis divina revelatio à Diabolica secernatur.

Valentia cum aliis *l. c.* breviter duo indicia, seu signa affert, ex quibus id conjectari possit, desumpta ex somniorum fine, & effectu, quem somnia post se relinquunt.

Primum est, considerare, ad quid somnium impellat, si enim somnia sint inhonesta, vel ad malum impellant, aut animum turbatum, vel tepidum, & ad virtutem indispositum relinquunt, haud obscurum est indicium, ea à malo spiritu immitti.

Secundum. Si somnia sint honesta, & hominem promptiorem reddant

ad benè operandum, animumque serenum, ac pacatum relinquunt, probabile est indicium à Deo provenire non tamen certum; cum sæpe Dæmon in Angelum lucis se transfiguret, ut facilius postea decipiat, & vana, ac falsa ex somniis suadeat, & repræsentet. Quando autem facta investigatione dubium est, an somnium sit à Deo, vel à Dæmone, tutissimum est, illud, ut à Diabolo immissum, contemni, ut docet *citt. Delrius* cum aliis; Quia Deus, cum aliquid per somnum significare intendit, solet talibus circumstantiis somnium vestire, ut de eo somniantem certum reddat, ut notat cum aliis *citt. Suarez cap. 13. n. 20.* Quapropter consilio Confessarii, vel prudentis Viri in hac parte standum erit, neque proprio iudicio fidendum.

Ad 3. Q. an pretium receptum pro usu, & exercitio magicæ artis sit restitutioni obnoxium? Respondent aliqui cum Gratiano *cap. qui habetis 14. quæst. 5.* illud, tanquam turpe lucrum, restituendum esse pauperibus, præsertim si effectus intentus non obtineatur. Tum quia est malè acquisitum & videtur tunc cessare voluntas concedentis, tum quia ob turpitudinem commissam videtur dans privatus esse jure illud recuperandi. Sed Melius alii distinguunt cum Sanch. *l. c. n. 96. Palao l. c. p. 13.* aliisque; & quidem si maleficus suæ artis concius, operam suam apposuit, & media, quæ sibi

sibi visa fuerunt sufficientia ad effectus consecutionem, non tenetur pretium receptum restituere in conscientia, nisi ad id condemnetur; quia pretium non fuit datum sub conditione, ut effectus obtineretur, sed sub conditione, ut divinaretur, seu ut maleficus operam suam & media secundum regulas suæ artis ad effectum consequendum apponeret; sicut pretium, quod datur Medico, non datur sub conditione, ut infirmo reapse restituat sanitatem, sed ut illi procuraret salutem per apta media secundum regulas suæ artis medicæ: ergo si maleficus, vel divinator operam suam, etsi turpem & media apposuit, & arte Diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere; acceptum enim pro opere turpi juxta veriore sententiam non est obnoxium restitutioni; neque etiam tenetur, etsi res non ita evenit, quando ipse diligentiam suam adhibuit arte Dæmonis ad eum effectum necessariam, utpote pretio æstimabilem, idque ob rationem

paulò ante insinuatam, sicut Medicus non tenetur pretium restituere ægro, etsi hic non recuperet sanitatem, quando juxta præcepta suæ artis applicuit medicamenta, quæ ad eum effectum apta, & idonea videbantur.

Si verò maleficus signarus suæ artis magicæ nullam operam apposuit, aut ex malitia media ad effectus consecutionem noluit apponere, ut id arte Diaboli sciret, quod nullo alio pacto sciri potuit, haud dubiè tenetur pretium restituere danti; utpote qui deceptus est, siquidem pecunia datur propter operam à malefico impensam, & quidem utilem ad effectum consequendum, quod tamen factum non est. Et quamvis dans, seu ita consulens maleficum deliquerit offerendo pretium pro re turpi, verior tamen sententia, teste Sanchcitt, docet, restituendum id illi esse, donec per sententiam, ut datum pretium amittat, eadem demnetur.



K 2

CA-